



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tribunal Poenitentiae Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut Reo Posterior De Confessario Ut Judice

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

§. 7. De impeditis adire Superiorem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144

cessante reservatione, uti hinc fit, cesset etiam onus Reservationis, hoc est, comparandi coram superiore; sed intelligi debet: nisi aliter in jure cautum sit. Dicast. *de pœnit. Disp. 11. n. 232.* Ideo autem in jure aliter est de censuris, quam de peccatis cautum, quia censura habet rationem pœnæ ad forum contentiosum pertinentis, non item peccatum. Dicast. *l. c. n. 230.* & ut *n. 222.*, habet, quia potestas absolvendi à censura provenit tota immediatè à superiore, ejusque solius nomine exercetur, non item potestas absolvendi à peccatis; ergo superior sicut illam potuit, ita reipsa etiam voluit limitatè tantum concedere juxta *cit. cap. 22.* istam autem pro articulo mortis, etsi fortè possit, constat tamen ex praxi Ecclesiæ, quòd nullus superior velit (& malè faceret, si vellet) simili modo limitare. Dicast. *l. c. n. 234.*

Quòd verò absolutus debeat juxta dicta comparere, non est, ut denuo absolvatur à censura vel peccato censurato; cum ab utroque jam ante per alium sit directè absolutus; sed tantum ut superior ei pœnitentiam injungat; meliùs dirigat; remedia præscribat; ad satisfaciendum iis, qui fortè læsi sunt, compellat &c. Unde quandoque consultius esse potest, ut aliquis, juxta Laym. *l. 5. tr. 6. cap. 12. n. 15.* monitum, in periculo mortis confiteatur alicui privilegiato, quia iste tanquam delegatus Pontificis potest etiam à censuris reservatis absolvere sine onere comparandi. Sed & plurimum hinc proderit, accuratè dispicere, an non pœnitens, etsi censuratum peccatum commiserit, adhuc tamen à censura sit excusatus ob ejus ignorantiam, vel alias justas

causas, de quibus *in tr. de Legibus; vel tr. de Censuris.*

§. VII.

De impeditis adire superiorem.

68. Qui habet aliquod peccatum & censuram Pontifici reservata, sed simul etiam habet impedimentum vel perpetuum, vel ut Tamb. mox citandus addit, longo tempore duraturum, ut ad Pontificem vel aliquem ex ejus delegatis pro absolutione accedere non possit, potest tunc absolvi directè ab Episcopo, sicut paulò antè diximus aliquem posse absolvi in articulo mortis; quia tale impedimentum æquivaleret hinc articulo mortis, Tamb. *de casib. reservat. cap. 12. §. 3. n. 4.* & cum taliter impeditus sit in periculo, ne antè moriatur, quam habeat copiam Pontificis, vel alicujus ab eo delegati, per quem absolvatur, censetur perinde ac si sit in periculo mortis. Tamb. *l. c. §. 2. n. 32.* Palao *tr. 4. Disp. 4. p. 3. §. 5. n. 4.* Desumitur hæc resolutio ex *cap. 6. 11. 13. 26. 33. & 58. de sent. excom. & cap. 22. eod. in 6.* qui canones etsi loquantur tantum de peccato & censura ob percussione clericis contracta, rectè tamen DD. intelligunt eorundem dispositionem de omnibus quoque aliis casibus & excommunicationibus Pontifici, etiam in Bulla cœnæ, & ob hæresin reservatis. Palao. *l. c. n. 5.* Dicast. *de pœnit. Disp. 11. n. 268.* quia in omnibus est eadem concedendi ratio. Ut propterea meritò dicat Laym. *l. 1. tr. 5. p. 2. cap. 6. n. 5.* pro regula statuendum esse: *Casus papalis superveniente impedimento (perpetuo vel diu durato) fit Episcopalis de Jure*

Jure communi; à quo possunt hoc ipso etiam alii privilegiati, ut Regulares, absolvere. Sanch. *lib. 4. Mor. cap. 54. n. 27.* Habet quidem Decretum Clem. VIII. de quo *sup. n. 58.* ut Regulares in nullo casu etiam necessitatis & impedimenti, nisi in articulo mortis, absolvere presumant à casibus Bullæ Cœnæ, & illis quinque *sup. n. 60.* relatis. Sed Urbanus VIII. clausulam illam omisit; & nos hîc loquimur de impedimento, quod mortis articulo æquivaleret. Imò probabile est, quòd Episcopus adhuc possit à reservatis absolvere aliquem, quando iste, etsi non Pontificem, potest tamen adire Pontificis legatum, delegatum, vel specialiter privilegiatum. Tamb. *l. c. n. 31.* Laym. *l. c. n. 6.* cum aliis, quorum aliquos etiam refert Dian. *p. 5. tr. 9. Resol. 6.* quia in cist. textibus conceditur Episcopis hæc potestas sub nulla alia, quàm sub hac sola conditione: si pœnitens Apostolico conspectui se presentare, ad sedem Apostolicam venire, Romanum Pontificem adire nequeat. Quod si impeditus nullum ex prædictis adire possit, tunc potest à reservatis absolvi directè per quemlibet alium approbatum, vel etiam simplicem sacerdotem. Tamb. *cit. §. 2. n. 28. & 34.* juxta dicta *sup. n. 65.* Sed tam per istos, quàm Episcopos cum onere illo, de quo *num. seq.* Idem est, si quis habeat casum cum vel sine censura reservatum Episcopo, vel aliis Prælati, sed simul etiam impedimentum perpetuum vel diuturnum illos vel alios, ab ipsis potestatem habentes, adeundi; quamvis hoc rariùs possit contingere. Dicast. *de pœnit. Disp. 11. n. 271.* Tamb. *l. c. n. 36.* & alii contra Lugo & alios.

R. P. Stoz Trib. Pœnit. Lib. II.

69. In *cit. cap. Quamvis. 58. de sent. excom.* habentur pro impeditis, quibus adeundi facultas adempta est 1. infirmitate. 2. inimicitia. 3. inopia. 4. puerili vel senili ætate. 5. fragilitate sexûs, ut mulieribus. 6. corporis impotentia per destitutionem membrorum, ut *cap. 13. eod.* dicitur. 7. quovis alio canonico impedimento. Quibus accensentur. 8. qui juris beneficio excusantur, ut Monachi. *cap. 2. eod.* & impubes. *cap. fin. eod.* 9. qui non sunt sui juris, ut filii familias, servi &c. & 10. magnates, laborem itineris sustinere non valentes. *cap. 6. eod.* 11. qui à cura animarum, officio publico, vel dominio, quod habent, abesse sine gravi damno non possunt. Vide Dian. *cit. p. 5. tr. 9. Resol. 6.* & Tamb. *cit. §. 2. n. 38.* & simul diligenter observa, quod optimè Palao *cit. tr. 4. Disp. 4. p. 3. §. 5. n. 7.* Dicast. *cit. Disp. 11. n. 270.* cum aliis contra Bonac. probat, censeri aliquem adhuc legitimè impeditum, qui personaliter adire superiorem non potest, etsi fortè possit adire mittendo procuratorem, vel litteras, vel confessarium, vel ad se advocando superiorem. Ratio, quia hæc media, cum sint vel extraordinaria, vel valde difficilia & periculosa, nemo tenetur arripere; & quamvis adsint, adhuc tamen verum est, quòd qui personaliter adire superiorem nequit, canonico aliquo impedimento retrahatur; quod sufficit juxta *cit. cap. Quamvis.* Habentem itaque tale impedimentum potest Episcopus in foro interno & externo juxta Palao *de pœnit. l. 15. §. 4. n. 2.* tam à peccatis, quàm à censuris Pontifici reservatis per se & directè absolvere; sed ita, ut ratione censuræ exigat, & pœnitens

E

faciat

faciat promissionem comparendi per se, vel per alium eoram superiore, vel ejus delegato sub gravi culpa inobedientiæ & pœna reincidentiæ, ut dixi *sup. n. 67.* nisi 1. certò constet, impedimentum nunquam cessaturum, quia hæc promissio foret tunc inutilis, vel nisi 2. Episcopus aliquis, ut juxta Laym. *l. c. n. 6.* potest, per præscriptionem obtinuerit Jurisdictionem, à quibusdam casibus Papalibus, frequenter contingentibus (v. g. à notoria Clerici percussione, hæresi &c.) absolvendi sine onere isto, ut reus coram Pontifice, ejusve Legato compareat; vel nisi 3. delictum sit ante pubertatem commissum, sive jam ejus absolutio etiam antea, sive postea primùm petatur, *cap. fin. de sent. Excom.*

§. VIII.

Quid aliud possint inferiores circa casus reservatos superioribus?

70. Extra articulum mortis, & quod articulo mortis æquivaler, extra impedimentum perpetuum vel diuturnum, inferiores sacerdotes nihil (directè) possunt in casibus, quos cum vel sine censura sibi vel alteri reservavit superior; nisi ex jure vel privilegio id concedatur. Id unum ergo pœnitentibus persuadere narrantur, ut ad superiores & legitimos iudices pro beneficio absolutionis accedant, Trid. *sess. 14. cap. 7.* Ratio, quia hoc ipso quòd peccatum aliquod vel censura sint reservata superiori, est inferioribus ablata Jurisdictio in illa, ergo nihil in ea possunt. Dimidiare autem Judicium sacramentale, & sola non reservata directè absolvere,

aut non integrè confiteri, ordinariè & absque gravi causa non licet.

71. Dixi, *nisi ex jure concedatur.* Nam I. in Trid. *sess. 24. cap. 6.* concessum est Episcopis, ut possint in quibuscunque casibus occultis, etiam sedi Apostolica reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in Diœcesi sua per se ipsos, vel per Vicarium ad id specialiter deputandum; in foro conscientiaè gratis absolvere, imposità pœnitentiâ salutari. Idem & in hæresi crimine est in eodem foro conscientiaè Episcopis tantum, non eorum vicariis permissum. Huic tam amplæ potestati probabilius quidem est, esse quoad casus in Bulla cœnæ contentos derogatum per clautulam ejusdem Bullæ; Palao *tr. 4. Diss. 4. p. 3. §. 1. n. 22.* Quia tamen etiam contrarium probabile censeatur ab autoritate & ratione apud eundem *l. c. n. 21.* & quia quodcumque probabile est, aliquem habere Jurisdictionem Ecclesiasticam, hoc ipso illam ab Ecclesia certò habet; ut in alio casu bene argumentatur Tamb. *de Confess. l. 3. cap. 7. §. 1. n. 1.* & dixi *sup. n. 53.* ideo videri potest, Episcopos adhuc eadem potestate in eadem amplitudine tunc posse uti. Tamb. *l. c. §. 2. n. 4.* Sed Decretum Alex. VII. 1665. editum huic opinioni videtur non parum officere, damnando *n. 3.* propositionem, quæ dicit, quod *sententia asserens*, per Bullam Cœnæ non derogari facultati Tridentini de occultis criminibus, *sit 1629. 18. Julii in Consistorio visa & tolerata*; vide Gobat *tr. 7. n. 370.* Quidquid autem de hoc sit, absolutus per Episcopum à casu Papali, à quo potest absolvi, non tenetur postea comparere